



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

S. Udalrici magnificentissimum Benedictinæ professionis monachorum  
cœnobium, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

differt, Episcopo narrat. Episcopus vir religiosus prodit cum sacerdotum & monachorum cœtu, agnoscit particulam furto alienatam, quam mox cum reverentia sublevat & sacellum illic construere incipit. Id statim ab Henrico quodam, alio cive, & ejus uxore Guta, postea vero aliorum piorum hominum elemosynis cumulatum accedentibus præclare ditatum, & à Francisco, cive supranominato, magis auctum & in cœnobii formam ac statum redactum, reliquiisq; S. Jodoci ornatum, pluribusq; structuris pulchre decoratum est. Primæ hujus loci moniales ex Dominarum Aurachio introductæ sunt, Elisa Frowiniana, Elisa Holdschuherina, patre Patricio viro apud Noricos nata, Catharina Cameraria Bambergensis, cum aliis 12. virginibus, quarum prima gubernatrix vel priorissa fuit Domina Khunigundis, Francisci Monetarii fundatoris conjux, quæ 19. annis laudabiliter huic societati præfuit, & anno 1375. ex hoc seculo emigravit. Reformatum est cœnobium hoc anno Domini 1457. temporibus Antonii, Episcopi Bambergensis, à pia & venerabili Domina, Dorothea Perlina, è S. Clara Noribergensi cœnobio missa, quæ hujus loci Priorissa designata est. Præfuit autem huic ipsi monialium congregationi anno Domini 1513. insignis Domina, Domina Euphrosyne à Schaumberg, quæ octo sorores misit eodem anno in Misniam ad S. Mariæ Magdalenæ Widenfense cœnobium reformandum: cui præfecta legitur gubernatrix Domina Margaretta ab Hutten, nobilis genere, sed virtute morumq; & vitæ probitate longe nobilior Domina.

*S. Maria  
Magda-  
lena Wi-  
dense Cœ-  
nobium.*



**S**UDALRICI magnificentissimum Benedictinæ professionis monachorum cœnobium, intra Augustanæ urbis mœnia versus meridiem sublimi & augusto loco situm, ex Divæ Afræ vetustissimo templo in monasterium conversum est ab ipso S. Ulrico, Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab Imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit vero S. Ulricus ibi Canonicos primum regulares. Postea vero à Brunone Episcopo, Imperatoris Henrici II. germano fratre, Abbatia Benedictinorum monachorum ejectis Canonicis facta, S. Ulrico

Qqq 3

augu-

augustum ejus templum dedicatum est, quod prius S. Afræ egi-  
gum tantum fuerat facellum, idque factum legitur anno Chri-  
sti 1012.

*Abbatum*  
*Ordo.* Abbatum hujus amplissimi cœnobii talis à me collectus & ex  
variis annotationibus confusus est catalogus.

1. *Reginboldus*, illustris Comes à Dillingen, ex primi funda-  
toris S. Ulrici posteritate natus, à Brunone Episcopo, secundo  
fundatore, ejusq; fratre, S. Henrico Imperatore constituitur  
primus Abbas collectæ Benedictini instituti congregationis mo-  
nasticæ anno Domini 1012. Præfuit 3. annis, & magistratu scilicet  
abdicans alteri gubernationem commisit. Ipse privatus vixit pie  
ac religiose ad annum usq; 1032. Tum enim ab unanimiter con-  
sentiente Spirensis Ecclesiæ clero in ejus urbis antistitem ac Epi-  
scopum postulatur, ubi magna virtute & summa cum laude legi-  
tur præfuisse annis penè octo: emigrasse vero ex hac mortali  
vita anno Domini 1039. quo Conradus etiam, Imperator ejus  
nominis secundus, apud Trajectum in Hollandia diem extre-  
mum clausit.

2. *Dego* successit Reginboldo, resignanti anno Domini 1015.  
factus ex conventuali Abbas. Præfuit 3. annis, vir singularis vir-  
tutis & meriti longe maximi, Divinarum vero scripturarum co-  
gnitione insignis, ac earundem explicator & interpret facundus,  
& cum multa laude & autoritate celebris. Obiit anno Domi-  
ni 1018.

3. *Godesgenus* subrogatur Degoni anno 1018. Præfuit an-  
nis duobus vix integris. Decessit anno Christi 1020. 13. Kalen-  
darum Januarii.

4. *Frideboldus*, conventualis & senior hujus loci, eligitur in  
Abbatem anno 1020. Præfuit 10. annis & aliquot mensibus.  
Erat vir imprimis religiosus & præclare doctus, S. Henrico Im-  
peratori confessor longe charissimus. Donatus est amplissime  
& privilegiis & possessionibus cum ab hoc Imperatore, tum ab  
aliis plurimis Germaniæ Principibus, ita ut sub ejus felici guber-  
natione præclare emerferit S. Ulrici cœnobium. Obiit veneran-  
dus senex anno Domini 1030.

5. *Hen-*

5. *Henricus* ex loci hujus priore Abbas designatus est post sublatum ex hoc seculo Frideboldum. Præfuit laudabiliter 14. annis, homo humilis ac vere mitis, eleemosynarum elargitor liberalissimus, nunquam malum pro malo reddens: ita enim de eo scriptum reperitur. Obiit 15. Kalendarum Julii anno Domini 1044.

6. *Theodo*, vir Deo & hominibus gratus, successit *Henrico*. Præfuit utiliter & prudenter, ac idcirco etiam profuit annis 6.

7. *Adalbero*, vir in S. literis apprime eruditus, eligitur anno 1050. Præfuit laudabiliter annis 15. Cinxit cœnobium suum primo, sed & humili tantum muro: condidit facellum S. Agnetis parochiali suæ ecclesiæ annexum. Ea tempestate monachi sine exemplo majorum uxores ducebant, in quos idcirco Pontifex *Gregorius VII.* excommunicationis fulmine graviter animadvertit. Profectus Romam Abbas, quod ab Augustano Episcopo premeretur gravius, quam decebat, in itinere diem obiit extremum anno Domini 1065.

*Monachi uxores ducunt.*

8. *Theodomarus* novitijs, ut vocant, hoc est, nec clericus nec monachus, homo prorsus juvenis, absente *Adalberone* in odium ejus constituitur Abbas ab Episcopo *Embricone* anno Domini 1064. Præfuit annis 16. sed non admodum profuit. Decessit ex hac vita anno Domini 1080. decima tertia Kalendarum Decembrium.

9. *Sigehardus* è vestigio à conventualibus electus, ne iterum alius ab Episcopo intruderetur, successit mortuo *Theodomaro*, vir honestæ vitæ, circa religionis curam strenuus, nec in temporalibus acquirendis segnis aut male providus. Præfuit 14. annis præclare & laudabiliter. Obiit anno Domini 1094. Misit in Hispanias ad *Berengarium*, Episcopum *Gerundensem*, fratrem quendam sui cœnobii conversum ad explorandam plenam S. Afræ historiam, & pro apportandis S. *Narcissi*, primi Augustanorum doctoris, reliquijs ac monumentis.

10. *Hartmannus* intruditur ab Episcopo Augustano schismatico, desumptus ex cœnobio *Gottwigen*si, vir admodum prudens & eruditus. Is videns sese conventualibus parum esse gratum,

*Gotwigense cœnob.*

tum,

tum, post biennium, anno videlicet 1096. Campidonam concessit. Periit paulo post in Danubio, unde inventus Campidonam reportatus ac ibi sepultura donatus est.

11. *Berengarius*, monachus Fuldensis, ab eodem schismatico Episcopo monachis S. Ulrici obtruditur. Præfuit 11. annis, & resignans Fuldam rediit anno Domini 1107. ubi reliquum vite studiis deditus transegit & in quiete literaria absolvit.

12. *Guntberus* ex Abbate Wessenbrunnensi Abbas S. Udalrici etiam fit, violentia potius, quam electione a<sup>no</sup> Domini 1107. Præfuit vix duobus annis, & qui seipsum intruserat, cedere iterum non sine multa ignominia cogitur anno D<sup>ni</sup> 1109.

13. *Egino*, vir sanctus, patria Augustanus, & à pueris in hoc cœnobio alitus ac educatus, egregius concionator, eligitur in Abbatem anno Domini 1109. Præfuit 13. annis. Habuit valde injurium & male propitium Hermannum, Episcopum Augustanum, à quo ex Abbatia expulsus est. Secessit igitur bonus pater Romam, ubi apud Pontificem sententiam contra Episcopum obtinuit, qua armatus dum redit, obiit Pisis in Camaldulensi monasterio, ubi in S. Michaëlis Ecclesia in ipso etiam ejus urbis Episcoporum Mausoleo honorifice depositus ac humatus est. Cui Udalscalcus, doctus hujus loci cœnobita & egregius verificator, tale fecit ad confratres suos epicedion, quod tamen mendosum esse suspicor.

*Hic patris occasus, dum veri Solis ad ortum,  
Tendit & ad portum, quia nescit tempora casus.*

*Est tibi gaudendum pro tam præstante corona  
Fili mente bona: simul est quoque mente dolendum.*

*Nam velut orbatu remanes patre spirituali,  
Et tibi causa mali: reputatur is unde beatus.*

*Sic tamen est pia spes, hic qua dolor alleviatur:  
Est operum quoque res, qua justus quisque beatur.*

*Nato reddit ubi patrem suus ille paternus,  
Illic jungat ei quoque nos Pater ipse supernus.*

14. *Wollemarus*, monachus S. Ulrici doctrina & religionis studio reliquos antecellens, ætate etiam senioque venerandus, eligitur

igitur in Eginonis successorem anno Domini 1122. Præfuit utiliter 4. annis & aliquot mensibus. Obiit anno 1126.

15. *Udalscalcus*, ex familia honesta nobilium virorum de Maifack natus, monachus ad S. Ulricum, Abbatem Eginonis individuis comes, vir religiosus & præclare doctus, versificator non poenitendus, muscus & componista eximius, Theologus vero sui seculi nominatissimus, eligitur in Abbatem anno Domini 1126. Præfuit prudenter & fideliter annis 25. Scripsit librum de Musica, historiam multorum sanctorum, imprimis vero S. Afræ, S. Udalrici, S. Mauricii, & S. Mariæ Magdalenæ, varii generis versibus. Extant multa ipsius epigrammata sparsim hinc inde parietibus inscripta, quæ ipsius ingenium admodum secundum, doctrinam vero non vulgarem præclare & luculenter produunt. Obiit anno Domini 1151. Imperante Conrado II. Sepelitur cum tali epitaphio:

*Mors animæ triplex, sed in hoc est corpore simplex:*

*Nam moritur vitiiis, post reâ suppliciiis.*

*Tertio damnatur, dum corpus ei sociatur.*

*Ergo moriendo perit, quod male semper erit.*

*Sed tria justorum sunt vitæ dona, laborum*

*Ex spes amor, & spes, quæ Deus ipsemet est.*

*Hic dum speratur, patriæ requies & amatur,*

*Illic percipitur, quæ Deus aspicitur.*

*Visio deinde Dei summum confert requiei:*

*Quæ, dum sine caret, gaudia semper habet.*

*Vos ergo, patres, vos in Domino rogo, fratres,*

*Ut memores sitis, quem cinerem teritis.*

*Vivâ meî transit, pars vi viscanda remansit:*

*Ut spes unius vita sit alterius.*

16. *Hezilo*, vir optimus & œconomus utilissimus, eligitur anno Domini 1151. Præfuit annis 13. Emit multa prædia S. Ulrici cœnobio. Obiit anno Domini 1164. Sub ejus gubernatione vixit in hoc cœnobio sub regula D. Benedicti reverendiss. antistes, Conradus, Comes à Lutzelnstein, Episcopus Augustanus, nihilominus Episcopatum sapientissime ac utilissime sine ulla

Rrr

ulla

ulla pompa & aulico apparatu administrans ad finem usque vitæ suæ. Is obiit anno tandem 1167. sepeliturq; apud S. Ulricum in loco capitulari.

17. *Udalricus* de Biberach, vir nobilis, successit Héziloni. Præfuit annis 10. laudabiliter. Auxit Bibliothecam & emit multas villas. Obiit anno Dñi 1174. quarta Nonarum Martii.

18. *Henricus* de Meisick, arce & pago prope Monacum sito, vir genere nobilis, sed nobilior virtute, castus, literarumq; scientia & sapientia præditus singulari, subrogatur Udalrico. Præfuit & profuit annis 7. Donatur liberalissime à Welfone, Spoleti duce & Marchione Tusciæ Sardiniaq; Principe, sub Imperatore Friderico I. Obiit anno Domini 1181.

19. *Menigoldus*, Prior S. Ulrici per annos ferè 50. constituitur nunc etiam Abbas in extrema penè senectute. Præfuit annis 6. mensibus 8. diebus 11. Sub ejus gubernatione ortum est anno Domini 1183. ipsa die S. Alexii incendium quoddam in vicina monasterio fabrica, quod in magno etiam Solis æstu ita invasit, ut & vicinas domos & cœnobium ipsum quoq; corripet & invaderet, totumq; unà cum ecclesia in cineres ac favillas redigeret, adeo ut non unum superesset tugurium, in quo monachi quiescere aut cibum capere potuissent. Id pius pater, dum summo studio restaurare conatur, evocatur ex hac vita anno Domini 1188.

20. *Henricus* tertius, monachus pius ac doctus, à puerisq; in monasterio educatus & diligenter institutus, eligitur in Abbatem unanimi fratrum consensu anno 1188. Præfuit utiliter annis sex, mensibus totidem, quibus monasterium egregie reædificavit. Obiit anno Domini 1195.

21. *Erchenboldus*, vir & formæ honestate & morum elegantia præclara præditus, successit Henrico. Præfuit annis 8. quibus cœnobium plurimis ornamentis & marmoreis & aureis argenteisq; præclare auxit & illustravit, imprimis vero lapideis pilis per ambitum undiquaq; positis. Obiit 10. Kalendarum Februarii anni à nato Christo 1203.

22. *Udalricus*, vir decrepitæ penè ætatis, ex Priore Abbas con-

constituitur anno 1203. Præfuit annis sex & resignavit Abbatiam anno Domini 1209. Emit villas Lomaringen & Gregehofium à Comite de Wittelsbach, quem solvit parte aureæ cujusdam tabulæ, quam Domina Adelheidis Imperatrix dono dederat cœnobio S. Ulrici sub magno & insigni sigillo. Obiit tandem anno Domini 1211.

23. *Henricus* quartus, vir nobilis de Ballesheim, multis præclaris virtutibus conspicuus, liberalis, hospitalis & omnibus affabilis, præfuit Abbatia Ulrichianæ annis septem summa cum laude. Obiit anno 1216. decima Kalend. Martii.

24. *Dietho* vel *Theodo*, monachus Faucensis, præfuit Abbatia S. Ulrici, cui per novennium utiliter præfuit plurimumque præfuit. Decessit ex hac mortali ac lugubri vita anno Christi 1225. 17. Kalend. Aprilis.

25. *Luitfridus*, monachus S. Ulrici, designatur Abbas post mortuum Theodonem. Præfedit prudenter & honeste annis octo. Abdicavit se magistratu, & cessit alteri anno 1232.

26. *Hildebrandus* successit Luitfrido. Sedit ad clavum Abbatia annis 12. Decessit anno 1244. quinta Kalendarum Decembrium.

27. *Goswinus*, nobilis vir de Thierheim, vir acri ingenio præditus, circa religionis observantiam strenuus, eligitur anno Domini 1244. ac, etsi essent alii etiam genere quidem nobiles aut sublimiores, sed non perinde virtute, qui ei obtemperare negarent, tamen clavum magnanimiter tenuit per 23. annos. Postea Abbatiam illis, à quibus eam acceperat, cum gratitudine reddidit anno Domini 1267. quo ex hac vita etiam emigrasse ad aliam legitur, sexta Iduum Julii.

28. *Theodoricus*, nobilis de Rot, subrogatur Domino Goswino, cum consensu Episcopi Augustani, Hartmanni. Præfuit mediocriter 21. annis. Valedixit & dignitati huic monasticae & conversationi hominum in terris viventium anno Domini 1288.

29. *Sibotho*, superbi cervi cognomento, Patricio apud Augustanos sanguine natus, vir potens ac opulentus, constituitur

R r r 2

Abbas



Abbas Ulrichianus post sublatum ex hac vita Theodoricum. Ex authoratur mox iterum ab Episcopo Augustano, Wolffhardo, nobili viro de Rodt: sed adjutus à suis cognatis (qui erant præcipuæ in urbe & Senatu autoritatis) mansit in gubernatione Abbatiae, etiam fremente & ægre id ferente Episcopo, per annos quatuor. Deinde voluntariè cessit anno gratiæ 1292. factus iterum templi custos, cui dignitati adhuc per 23. annos præfuisse legitur.

30. *Henricus de Hagenau* eligitur unanimi fratrum consensu anno salutis 1292. Præfuit etsi invitus & ad suscipiendum gubernationis onus vi & imperio adactus annis 23. Tandem ab Episcopo Augustano, Friderico, alium intrudere parante, exauthoratur.

31. *Marquardus de Haglen*, monachus ordinis Prædicatorum, ingenio & doctrina magnus, intruditur contra conventualium S. Udalrici voluntatem, ab antistite Augustano, Friderico Speet, anno Domini 1315. Præfuit annis 18. Sub eo periit iterum incendio cœnobium S. Ulrichi, quod quidem de novo instaurare cœpit. Obiit anno salutis 1333.

32. *Conradus Wincklerus*, Augustanus, vir doctrina & prudentia conspicuus singulari, Ludovici Bavari optimi Imperatoris confessor, & omnium ipsius liberorum de sacro Christianæ regenerationis fonte susceptor, eligitur in Abbatem S. Ulrichi anno 1333. Præfuit optime & utilissime 22. annis, ita ut secundus hujus Abbatiae fundator dici meruerit, quam & gloria & divitiis beavit, totamq; ferè de novo construxit. Huic Ludovicus Imperator multa insignia dono dedit privilegia. Huic ipsi Carolus IV. Imperator postea anno 1351. ex Praga misit tabulam argentæam & deauratam, cui deberet includi caput S. Dionysii, primi Augustani Episcopi. Tabulæ vel imagini incisum erat tale epigramma:

*M. C. ter numerato, cum L. uno simul anno  
Carolus est quartus regnans hoc nomine dictus,  
Qui dedit ornatum, sanctis petit hunc fore gratum.*

*Huic*

*Huic est inclusus terræ Dionysius hujus  
Præsul de votus, vita quàm nomine notus.*

Obiit Abbas iste Conradus pridie Kalendarum Octobrium  
anni 1355.

33. *Joannes*, nobilis vir de Vischach, non genere tantum &  
majorum imaginibus, sed & propria virtute & probitate conspicuus,  
suceffit Abbati Conrado. Præfuit annis undecim, ita ut  
à nemine reprehendi posset. Fuit insignis musicus & librorum  
scriptor diligentissimus. Obiit 15. Kalendarum Februarii, anno  
Domini 1366. Habuit germanos fratres, magnos hujus cœno-  
bii benefactores.

34. *Fridericus de Gummeringen*, conventualis S. Ulrici, genere  
nobilis quidem, sed vita & moribus degener, præfuit parum uti-  
liliter, imo neque laudabiliter annis 13. Homo plane atheus & *Atheus*  
omnis religionis contemtor ac derisor, de quo non male dici pos- *Abbas.*  
set illud:

*Aurum atq; argentum & fruges consumere natus,  
In medios dormire dies cum nobili amica.*

Expulit malis suis moribus omnes ferè Conventuales è cœno-  
bio, quorum omnium gaudio deceffit tandem año Christi 1379.  
undecima Kalendarum Augusti. Sepelitur in adytis templi ante  
S. Pauli aram.

35. *Henricus de Gabelbach*, equestri ordinis parentibus qui-  
dem natus, & nobilitate majorum conspicuus, sed homo per se  
ignavus plane & ocio deditus, præfuit 17. annis, & ob negligenter  
curatas res cœnobii exauthoratur anno Domini 1396. De-  
cessit tandem ex hoc mortali seculo anno 1398. quarta Iduum  
Decembris.

36. *Joannes Laugingerus*, ex Werdæa Suevica natus, Abbas  
prius S. Magni in Faucibus vel Faucensi oppido, ubi cum ali-  
quando feliciter præfuisset ac ad inopiam redactum cœnobium  
egregie iterum prudenti sua gubernatione pristinae dignitati resti-  
tuisset, accersitus est ad Abbatiam S. Ulrici etiam, plurimum jam  
ab illa veteri mutatam, consilio & ope sua instaurandam. Præfuit  
verò utilissime annis 7. Obiit in die S. Benedicti Abbatis, anno  
Christianorum 1403.

Rrr 3

37. Jo-

37. *Joannes Ruffingerus*, Augustanus, Abbas Uttenburhhanus infulatus, unanimi omnium conventualium S. Ulrici consensu, Augustam ad collapsæ penitus & jam sese iterum aliquo modo erigentis Abbatia gubernationem accersitur anno 1404. cum jam 4. añis laudabiliter præfuisset Uttenburhano monasterio. Præfuit summa cum laude & virtute annis 24. quibus & cœnobium iterum ditavit, cœnobitas reformavit & ad disciplinam aliquam præstandam coegit viriliter: ædificia vero præclare etiam auxit & illustravit. Et quia antea Infula & mitra, aliisque Pontificalibus ornamentis usus fuerat in Uttenburhiana Abbatia, attulit ille hæc ipsa secum in hoc S. Ulrici etiam cœnobium, cujus ipse primus legitur fuisse Abbas Infulatus. Obiit in thermis anno Domini 1428. in ipsis Kalendis Juliis. Revehitur Augustam & ibi honorifice sepelitur.

38. *Henricus Heuterus*, Augustanus, vir elegantis quidem formæ & civilitate morum eximia præditus, sed mollis & voluptuarius totus, qui omnia bona monasterii abliguravit, is successit Joanni, tenaci prodigus. Præfuit annis undecim; sed parum esset non profuisse, si non plurimum obfuisset: præfuit enim inutilissime. Obiit anno Christi 1439. Kalendis Martiis.

39. *Joannes ab Hohenstein*, natione Bavarus, cœnobitarius Eberspergensis, eligitur in Abbatem S. Udalrici anno, quo Henricus rebus humanis exentus est. Præfuit 20. annis admodum negligenter, nimia lenitate erga cœnobii ministros ac servos utens, vir alioqui optimus. Sub ejus gubernatione perierunt incendio omnia ferè cœnobii privilegia & diplomata in ipsis ædibus Cancellarii. Sub eodem Abbate reformatum est monasterium ad Cardinalis & Episcopi Augustani, Domini Petri Schaumburgii, petitionem & instantiam, à quatuor conventualibus monasterii Melcensis in Austria siti. Emit villam Fenningensem cum adjacente castro & advocatia & alia multa. Illustravit vero præclaris etiam ædificiis cœnobium. Resignavit Abbatiam in manus Petri Cardinalis Augustani anno Domini 1459. retenta tamen honesta pensione annua pro sui sustentatione. Obiit 20. anno post resignationem, anno Domini videlicet 1478. mense Novembr.

Monast.  
Melcensis.

40. Mel-

40. *Melchior de Steinbeim*, monachus Biblingensis & doctor legum, vir admodum facundus, constituitur cum totius conventus Ulrichiani consensu in Abbatem à Petro Cardinale, cuius ipse hactenus fuerat consiliarius, quemadmodum erat etiam successori Episcopo, Joanni à Werderberg, & Ludovico, Bavaronum Duci, ab intimis consiliis. Præfuit annis 16. utilissime, quibus construxit Ecclesiam parochialem, dormitorium novum, Capitulum & Bibliothecam, quam multorum librorum studiosa coemtionem locupletavit. Obiit anno Domini 1474. tertia Kalend. Februarii. Sepelitur, duobus fratribus è conventu eodem die morientibus comitatus, cum tali epitaphio:

*Religio & pietas multo plantata labore*

*Hoc in cœnobio sunt, mediante Deo.*

*Sed quia planta perit, terras cum torreat æstus,*

*Hæc nisi de cœlo fertilis unda riget.*

*Ne fructu careant igitur plantata labore*

*Multo, qui riget hæc, præstitit ipse Deus.*

*Namq; annis octo duplicatis Melchior Abbas*

*De Steinbeim, studiis irrigat illa suis.*

*Suevia quem genuit clarum de stirpe parentum,*

*Sed virtute sua clarior ipse fuit.*

*Ass anno decies septeno deniq; quarto,*

*Excutus carnem spiritus astra petit.*

*Verum terra datur terris illic: ita quorum*

*Unus zelus erat, nunc simul ossa cubant.*

*Trinus & unus qui es (numero Deus impare gaudes)*

*Tres, precor, hoc usu fac Deitatis idem.*

41. *Henricus Frisus*, Augustanus, vir proceræ staturæ & optimæ ac honestissimæ vitæ, unanimibus fratrum suffragiis in Abbatem eligitur anno 1447. cuius anni ipsa die, S. Petro & Paulo Apostolorum principibus dicata, concidit post horam secundam pomeridianam ventorum vi concussum & impulsum totum templum S. Ulrici, in qua ruina perierunt Parochus & ejus Sacellanus cum aliis hominib. 34. Abbas Henricus, non admodum clementer à novercante fortuna exceptus, præfuit laudabiliter annis octo,

*S. Ulrici templum corruit.*

osto, quibus Ecclesiam (quæ hodie adhuc cernitur) de novo construxit unâ cum refectorio. Obiit septima Iduum Martii anno Domini 1482. Sepelitur cum tali virtutum suarum encomio.

*Abbas Henricus, zelator religionis,*

*Olim flagrabat totus amore Dei,*

*Virtutum eximius cultor, cultor quoque morum,*

*Virginis intacte buccina jugis erat.*

*Annos exple vit multos in calibe vita;*

*Ejus defuncti hic membra sepulta jacent.*

*Spiritus ætheream purus conscendit in aulam:*

*Pro vita meritis, annuat Omnipotens.*

42. *Joannes de Giltlingen*, genere & virtute nobilis concorditer electus, successit Abbati Henrico. Præfuit laudabiliter & prudenter annis 14. quibus cœnobium egregie auxit & illustravit. Sub eo inventum est corpus S. Simperti, Episcopi Augustani, qui Caroli Magni Imp. è sorore Symphoriana nepos fuerat, & in tempore sane; erat etiam Abbati multis opus ad reficiendum collapsum prius templum. Est vero corpus id honorifice iterum humatum, præsentibus Imperatore Maximiliano & omnibus Imperii Principibus, eo loco, ubi hodie adhuc cubat. Obiit Abbas anno Domini 1496. quinta Kalend. Febr. ætatis suæ 57.

43. *Conradus Maurulus*, vulgo *Mærlin*, Augustanus, ex Priore S. Ulrici Abbas designatur anno Christianorum 1496. ætatis suæ anno 44. vir sapientia & eloquentia insignis, orator & concionator eximius, admodum item hospitalis & liberalis, Maximiliani Imperatoris Consiliarius, à quo multa insignia impetravit privilegia. Præfuit annis 14. laudabiliter. Dejecto veteri choro Ecclesiæ Ulrichianæ, novum eximis fundamentis ope Divi Maximiliani & Christi fidelium erexit, cujus primum lapidem posuit ipse Imperator in præsentia plurimorum Principum, 16. Kalendarum Maji. Etsi vero certatim adjuvaretur in construendo collapso templo, nihilominus tamen moriens magnum æs alienum & debita decem millium florenorum, nesciente conventu, contracta post se reliquit. Obiit in die Purificationis Mariæ anno Domini 1510. Sepelitur in capitulari loco cum tali epigrapha profana:

*Vivus*

*Corpus S.  
Simperti  
inven-  
tum.*

*Epigrapha  
congrua  
inven-*

*Virus mibi hanc (sub qua mortuus quiescerem) domum paravi: sum etenim Conradus Mörlin, cœnobii hujus Abbas. Noli obsecro mortuo injuriam facere, quam nec tibi fecerim.*

44. *Joannes Schrot, Augustanus, eligitur anno ætatis suæ 33. per modum inspirationis (inquit catalogus) quod quid sit, ego ignoro; nisi, qui illa annotavit, divinitus vocatum fuisse significare voluerit. Erat homo, qui ad hoc dignitatis genus assumtus non fuisset, nisi metuisset conventus, Maximilianum Imperatorem (qui tum Comitiam in dixerat Augustæ) obtrusurum aliquem, qui forte minus ipsi gratus futurus esset. Fuerat antea modestus (quæsierat enim claves ad Abbatiam) jam his inventis critas erigens, se totum luxuriæ & voluptatibus dedit, quibus moribus in primo statim triennio sex milliū aureorū æs alienum conflagit. Iccirco ad triennium ei adempta est potestas gubernandi bona temporalia. Ipse vero de spiritualibus non admodum curiosus calices & cætera adhuc præsentia clinodia accipiens, dicitur clam ad Salisburgensem Archiepiscopum aufugisse, cujus non recte forte informati auxiliis & ope Romæ diploma & mandatum Pontificium consecutus est, in quo jubentur monachi Ulrichiani levissimum hominem, ab Episcopali jugo etiam exemptum, integre restituere. Quod cum factum esset, ibi demum delictati & comessari etiam cum mulierculis ita cœpit, ut ludum jocumque fuisse dicas, quod antea designarat. Omnem enim cœnobii substantiam dilapidavit, omnia clinodia, ipsas etiam literas Cæsarum & Pontificum diplomata Judæis oppignorans. Sic præfuit usque ad annum Domini 1527. tum enim ipsa die S. Joannis Baptistæ resignata prius Abbatia (sine consensu conventualium) Vicario Episcopali, clam ex monasterio aufugit, factus tandem pagi cujusdam parochus, ubi paralyti tactus anno Domini 1534. ex hac vita emigravit. Hujus Abbatis ætate vixit in cœnobio S. Ulrichi monachus quidam, *Leonardus Wirstelinus* aliàs *Hamaxurgus* dictus, ex Suevorum Menchingo natus, incomparabilis scriba, qui librum centum diversarum scripturarum latinarum (quarum quamq; peculiari scripturæ proprio & erudito nomine appellavit) anno Domini 1522. Divo*

*Liber centum diversarum Latinarum scripturarum.*

Sss

Maxi-

Maximiliano Imperatori dedicavit, quem Abbas hujus loci hodie adhuc habet, & mihi inspiciendum dedit. Ego nomina saltem scripturarum huic operi inferenda censui, in eorum gratiam, qui pingendarum literarum varietate & elegantia quadam delectantur.

- |                           |                              |
|---------------------------|------------------------------|
| 1. Rotunda.               | 31. Neutricana.              |
| 2. Rotundalis alta media. | 32. Antiqua curtana brevis.  |
| 3. Poetica vera.          | 33. Saltana postlericalis.   |
| 4. Antiqua major.         | 34. Abscissa.                |
| 5. Imperatorialis.        | 35. Bullicalis minor.        |
| 6. Antiqua crassana.      | 36. Notula formata simplex.  |
| 7. Textus Italicus.       | 37. Antiqua durana.          |
| 8. Eversalicana.          | 38. Cespalicana.             |
| 9. Antiqua prisca.        | 39. Notula semifracta.       |
| 10. Rotalis minor.        | 40. Dilatana media.          |
| 11. Globata rotalis.      | 41. Rotalis cursiva.         |
| 12. Compostorialis major. | 42. Mediana serrata.         |
| 13. Papalicana.           | 43. Notula poeticalis media. |
| 14. Alta poeticalis.      | 44. Altana.                  |
| 15. Media rotalis.        | 45. Rotalis globata.         |
| 16. Notula formata.       | 46. Palliata tensa.          |
| 17. Cursiva rotundalis.   | 47. Notula semis formata.    |
| 18. Tenuissima.           | 48. Literalis Cursalica.     |
| 19. Poeticalis mediana.   | 49. Antiqua formata media.   |
| 20. Clipalicana major.    | 50. Antiqua simpliciana.     |
| 21. Regia pullicalis.     | 51. Antiqua polita.          |
| 22. Gippalicana.          | 52. Cardinalicana.           |
| 23. Literalis simplex.    | 53. Textus Italicus altus.   |
| 24. Altana semis minor.   | 54. Vagalicana extensiva.    |
| 25. Clipalicana galeata.  | 55. Eversalica minor.        |
| 26. Aversalicana media.   | 56. Antiqua serrata.         |
| 27. Italicana formata.    | 57. Extensiva inequata.      |
| 28. Fractura Germanica.   | 58. Mediana utralis.         |
| 29. Prisca caudalis lata. | 59. Antiqua curvalis.        |
| 30. Notula curtana.       | 60. Notula codicalis.        |

- |                                      |                                      |
|--------------------------------------|--------------------------------------|
| 61. <i>Abscissa posterialis.</i>     | 81. <i>Grossana.</i>                 |
| 62. <i>Composterialis minor.</i>     | 82. <i>Literalis Italicana.</i>      |
| 63. <i>Flacana antiqua.</i>          | 83. <i>Rotulana curvalica.</i>       |
| 64. <i>Neutralicis.</i>              | 84. <i>Antiqua formata media.</i>    |
| 65. <i>Prisca pilicalis.</i>         | 85. <i>Codicalis simpla.</i>         |
| 66. <i>Poeticana serrata.</i>        | 86. <i>Inequalicana.</i>             |
| 67. <i>Semifractura.</i>             | 87. <i>Pictoralis major.</i>         |
| 68. <i>Curvalica simplex.</i>        | 88. <i>Pillicana.</i>                |
| 69. <i>Notula submissa.</i>          | 89. <i>Alana minor.</i>              |
| 70. <i>Cartana premissalica.</i>     | 90. <i>Spissalica posterialis.</i>   |
| 71. <i>Polita media.</i>             | 91. <i>Pictoralis minor.</i>         |
| 72. <i>Poeticalis cursiva.</i>       | 92. <i>Posterialis serrata.</i>      |
| 73. <i>Italicana notalis.</i>        | 93. <i>Text. Italic. bifractus.</i>  |
| 74. <i>Curvana inequalis.</i>        | 94. <i>Extensiva inequalis.</i>      |
| 75. <i>Cursiva Italicana.</i>        | 95. <i>Notula codicalis polita.</i>  |
| 76. <i>Antiqua formosalicana.</i>    | 96. <i>Antiqua realicana.</i>        |
| 77. <i>Rotalis globata.</i>          | 97. <i>Cursiva literalis.</i>        |
| 78. <i>Inequalical. varian. med.</i> | 98. <i>Cartana stacca.</i>           |
| 79. <i>Macrana alta.</i>             | 99. <i>Notula poeticalis pressa.</i> |
| 80. <i>Bifavicalis.</i>              | 100. <i>Rotundalis inequata.</i>     |

45. *Joannes Könlín*, Augustanus, ex priore Abbas designatur ad S. Ulricum anno Domini 1528. quinta Maji. Præfuit annis undecim. Secessit cum toto conventu suo ex urbe propter mutatas, imo abolitas ibi profusus omnes Ecclesiæ ceremonias, ad Wittelsbachium arcem suam in Bavaria ad Patrium annum paululum ab Aichachio oppido sitam, quam de novo pulchre instauravit. Illic plenus dierum resignavit Abbatia gubernationem anno Domini 1538. Sepelitur Thierhaupti.

46. *Simon Gollius*, Augustanus, eligitur 16. Martii anno Domini 1539. Præfuit fideliter annis 9. Obiit anno Domini 1548. quinta Maji, ætatis suæ anno 58. apud Wittelsbachium in arce Abbatia. Sepelitur in templo superioris Wittelsbachii cum talibus epitaphiis, quorum author est *B. Dinnerus*, Uberlingensis, egregia doctrina præditus, Abbati hujus loci etiam hodie



adhuc à sacris concionibus. Saxo in pavimento jacenti incisum tale est:

*Arma Simon Golius posuit; lapis hic habet ossa:  
Spiritus ipse aura vescitur ætherea.*

Parieti adscriptum.

*Debita jura Simon subiit quoq; Gollius Abbas  
Mortis: nam fato cuncta creata ruunt.*

*Hic multum studuit miserorum impendere turbae,  
Filius cœnobio per vigil atque pater.*

*Regna colit cœli felix, ubi passus acerbis  
In terris curas præmia letus habet.*

Eidem Abbati aliquando petenti à me tale epitaphion factum est:

*Huic mandavit humo Simon sua Gollius Abbas  
Ossa, sed in cœlis Spiritus astra videt.*

*Et quos esuriit, dum vi veret, atq; siti vit,  
Vescitur ille cibus, nectare & ambrosia.*

**Lengelfeld:** 47. *Jacobus Koplinius*, Macropedianus ex Lengelfeldo, non Palatinorum in Bavaris oppido, sed Sueviæ pago quodam natus, vir procera corporis statura, animi vero ac ingenii dexteritate præclara præditus, eligitur in Abbatem S. Ulrici, Wittelsbachii in arce prope Aichachium Baviaræ Ducum oppidum sita, anno Domini 1548. decima quarta Maji. Remigravit sequente anno in Augustanam urbem, ubi præsidet feliciter utiliterq; hoc adhuc currente Jubileo.

**Heidenheimium Cœnobium S. Walburgis.** **S** WALBURGIS monialium, D. Benedicti regulam profitentium, magnificum monasterium, intra muros Aichstadianæ urbis situm, coepit in urbe sub Episcopo Aichstadiano sexto, Domino Odogero, qui S. Walburgin, Abbatissam primam Heidenheimensem, S. Wilibaldi Episcopi & S. Wunibaldi Abbatis sororem, consensu Pontificis Maximi Adriani II. de tumulto lavatam ac Diviarum numero adscriptam ex Heidenheimensi templo Aichstadium transtulit annum Christi circiter 870. ubi hodie